



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **SATIS QUIDEM** TEMPLUM ET SANCTUARIUM B. M. V.  
AUXILIATRICI DICATUM,  
QUOD INTRA FINES ECCLESIAE LABACENSIS IN LOCO «BREZJIE» EXSTAT,  
AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Satis quidem constat et publice sacram  
aediculam, quae antiquitus intra fines archidioecesis Labacensis ipsoque in vico «Brezje» exstebat ac volventibus  
saeculis restituta est atque refecta, mature praecipuum factam esse totius Sloveniae sanctuarium cultus Marialis. Illarum  
enim regionum Christifideles imaginem illic asservatam, quam Leopoldus Layer anno MDCCCXIV depinxerat, exinde  
tamquam B.V.M. Auxiliatricis propriam pie ac devote venerari coeperunt, deindeque Iacobus Missia bo. me.,  
Archiepiscopus tunc Goricensis, novum circa pristinam aediculam ampliusque feliciter exstructum templum ibi  
consecravit anno MCM. Pariterque compertum habemus pulchrum id templum nimirum et opibus splendens et renata  
antiquitatis arte aedificatum, quod et veterum rerum historicum est monumentum, haud parum hac etate, in primis  
sane ob industriam cleri ei addicti, cum ad christianam pietatem colendam, tum ad amorem B.V.M. fovendum  
incrementisque augendum opportune conferre. Nos igitur, qui tantae Matris benignitatem ab omnibus ubique terrarum  
agnosci magnopere volumus, preces audiendas censemus, quibus Archiepiscopus Labacensis, communia videlicet cleri  
populique vota expromens, recens ab hac Sancta Sede poposcit ut sacra quam diximus aedes titulo Basilicae Minoris  
rite exornetur. Quam ob rem Ipsi, ratam habentes sententiam Congregationis pro Cultu Divino deque hac re quod hodie  
ex suis facultatibus peregit confirmantes, ex plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae harumque Litterarum virtute  
nominatum sanctuarium B.V. Mariae Auxiliatricis sacrum ad honorem Basilicae Minoris evehimus perpetuum in modum,  
cunctis concessionibus iuribusque ei factis, quae singularum eiusmodi ordinis Basilicarum sunt propria, servatis  
utcumque servandis ipso Decreto «de titulo Basilicae Minoris» statutis, quod die VI mensis Iunii in vulgus est anno  
MCMLXVIII editum. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Octobris, anno  
MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright  
1988 - Libreria Editrice Vaticana

---